

QVOD FELIX FAUSTVMQVE SIT!

De

GLORIA CORO-
NÆ HEREDITARIÆ
præ ELECTIVA,

EXERCITIUM POLITICUM,

Quod,

Cum Auctoritate & Permissu Am-
plissimi Collegii Philosophici,
In Regia ad Auram Academia Aboënsi,
PRÆSIDE,

Viro Amplissimo & Praclarissimo,

DN. M. JOH. BERNH.
MUNSTER/

Philos. Pract. & Hist. Prof. Ordinario,
Præceptore & Promotore suo, gratif-
simâ mente enixè colendo;

*Benevole eruditorum & ingenuorum
censura, subjicit*

GUSTAVUS P. FLACHERUS,

In Auditorio Majori, ad diem 16. Febr.
An. M. DC. XCV.

Impr. apud JOH. WALLIUM.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS
Viro, magnæ fidei & insignis prudentiæ,
Nobilissimo atque Excellentissi-
mo DOMINO,

DN. SIMON I
Ruuch/

Supremi in magno Finlandiæ Du-
catu Regii Dicasterii Vice-Præfidi
æqvissimo gravissimoquè, Patrono
& Domino meo benigno, summâ
animi observantiâ & æterno
zelo, devenerando.

Nec non Prudentis

VI

DN. BALTHASARI Schultz/
Curia Urbis Aboënsis Assessori me-
ritissimo, Regii itidem Judicii Com-
missario perquàm laudabili, ut antea
per triennium Benefactori propenso,
ita nunc biennium & quod excurrit,
Nutritio optimo, quovis honoris &
officii genere, suspiciendo.

Amplissimo & Consultissimo
VIRO,

DN. JOACHIMO
Schultz/

In Regio Judicio Assessori consul-
tissimo, & ob meritorum
gloriam dignissimo, promotori
& Mæcenati suo jugiter
colendo.

simis & Spectatissimis
RIS

DN. JOST Schultz/ in Mi-
litiâ Equestri Narvensi Auditori
perindustrio; Judicii ibidem Pro-
vincialis Notario spectatissimo, &
curiæ quoque dictæ Civitatis Ad-
vocato solertissimo, Benefactori &
amico, multis nominibus hono-
rando.

Vobis, Patroni Maximi, Promotores propensissimi, in animi ad omne obsequiorum genus, prompti signum & Tesleram, submissâ, qua par est mente, publicam hanc Diatribam & hocce exile licet, ingenii mei specimen, quod placido serenoquè vultu accipite, quæso, æqui boniq; consulite; quam Vobis inquam, humilimè offero & consecro; vivite interea per annos benè multos, salvi & incolumes, ut fata vestra felicia, sera loqvatur posteritas! hoc simpliciter vover

NOBILISSIMI VICE-PRÆSIDIS,
Amplissimi Dn. Assessoris,
Atquè Spectatissimorum
Vestrorum Nominum,

Humilimus cultor

GUST. FLACHERUS,



I. N. D. N. J. C.

MEMBRUM PRIMUM.

Primordia Reipub. inquirens.

§. I.



Nimo, propositæ Materiæ difficultatem, tam latè patentem, volventem me, pavor tenet, ideo quod res periculi plena videatur, illud ipsum aggredi, quod vires longe superat meas. Consultum tamen duxi heic, ingenium experiri meum, operæ autem pretium facturum me, quod bene vertat DEUS Ter. O. M! autumo si anteqvam mente & manu ipsos modos sive species, summos constituendi Magistratus secter, diligenti inquisitione Causam, Imperatores, Reges & Principes, sive per Electionem, sive per successionem creandi, impellentem, perscrutatus fuero, quo modo omnis nobis eximi potest error, si quis fortè alicujus inhæreat animo.

A

§. II.

Rem itaq; ab ovo, ut in πολυβουλήτω
 dicitur, auspicabimur, in memoriam
 nobis revocantes illud Aristotelis lib. i.
 polit. & post eum Ciceronis lib. i. off. idem
 inculcantis: Σῶον γὰρ πολιτικὸν τῇ φύσει εἶναι
 τὸν ἄνθρωπον: Et πόλιν esse τῇ φύσει. i. e.
*Hominem Naturâ esse Animal politicum
 societatis appetens: Civitatemq; à Natura esse.*
 quod aliter intelligi non posse existi-
 mamus, nisi motum quendam & instin-
 ctum capiamus, qui nobilissimam Ho-
 minis naturam ad instituendam & colen-
 dam societatem impulit & adhuc im-
 pellit. *Ea enim est natura vis, inquit Bucha-
 nanus, non hominibus modò, sed mansuetio-
 ribus etiam animantibus indita, ut se maxime
 absint utilitatis blandimenta, tantùm cum sui
 generis animantibus libenter congregentur.*
*Homini certè à naturâ hanc vim tam videmus
 altè impressam, ut si quis omnibus rebus ab-
 undet, quæ vel ad incolumitatem tuendam, vel
 ad Voluptatem & animorum oblectationem
 comparata sint, sine hominum commercio vi-
 tam sibi insuavem, sit existimaturus. Hanc
 ho-*

hominum naturalem inclinationem, rationibus ulterius stabilimus, fundamentum ex eo solidissimum confociationis humanæ accercentes, quod solitaria vita omnium sit miserrima: *Nam nemo est, ait Seneca, Cui non sit sanctius esse cum quolibet, quam secum: ut sacræ etiam restantur pandectæ.* Imò secundum Ciceronem L. 2. off. *Omnis ratio & institutio vitæ, adjumenta hominum desiderat. Alias quoque solitudinem, Plato vocat comitem superbi & præfracti animi, quoniam eam quæerunt, qui præ se alios alto solent contemnere supercilio.* Ita ex hac prædictâ naturâ hominibus à DEO implantatâ, efficax quidam appetitus & amor pronascitur, ad societates & respublicas formandas: Cujus naturalis inclinationis stimulo, cunctos agi mortales, confiteri necessum habent omnis ævi Politici: quamvis eorum quidam à veritate & sententiæ nostræ scopo absint longè, dum causam ineundæ hujus societatis, vel ad metum violentiæ, libidinisque Tyrannicæ, vel cum Thomâ Hobbes

ad bellum omniam in omnes; vel alia mortalium scelera referunt: Horum non assentimur erroribus, siquidem sequeretur ex iis, homines si in statu integritatis permansissent, nullam inter se societatem habituros & per consequens nec politiæ locum fuisse. Mortales verò primitus per familias vicinitatesq; dispersi, postmodum ad supplendam vitæ indigentiam, eandemq; feliciorē per commodiora rerum cōmercia reddendam, societate ampliore opus sibi esse censebant, unde naturâ stimulante, in cœtus quosdam frequentes coibant. Huc digitum intendit Cicero lib. i. off. quando sic fatur: *Naturam vi rationis hominem conciliare homini, ad vitæ societatem, & impellere eos ad cœtus celebrandos, urbes condendas, in quibus commodè sermonem & alios vitæ actus communicare inter se possunt.* Mortalium ergo animis, instillatam esse appetitionem societatis ineundæ, ex hisce jam allatis omnibus, in confesso est.

§. III.

Hæc autem societas, cujus mentionem fecimus, Rectore & duce minimè carere potest; regiminis hujus necessitatem, eleganti non minus, quàm gravi explicat sententiâ, Cicero de L. L. dum inter alia docet: *Nihil tam aptum esse, ad jus conditionemque naturæ, quàm imperium, sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.* Imò hac de re scitè more suo loquitur Seneca: *Administratio Reipubl. est Vinculum per quod coheret spiritus vitalis, quem tot millia trahunt.* Optimè proinde, cum societate jam adauctâ agebatur, quando ad culmen tanti fastigii, Gubernationis nempe, aptus quidam & idoneus provehitur, à quo Primi mortales, confusione laborantes, regerentur. Quod æquè Eloquentiæ parens Cicero, hisce insinuat verbis: *Mihi quidem non apud Medos solum, sed etiam apud majores nostros, fruendæ justitiæ causa, videntur olim benè morati reges constituti.*

Ta.

Tales benè moratos reges & Principes per Electionem obtinebant primi mortales, quando Maximas in defectu regis & legis, ex Anarchiâ & æqualitate inordinatâ, oriri, perspicebant confusiones. Quammobrem ad magna hæcce incommoda, quæ vitæ discrimini eos exposuerunt, evitanda, Regem & Principem futurum, cui se ultrò submiserunt, eligebant: Unde *Imperia Electiva* suos fontes derivant & natales. Electionem quamvis nulla, longo temporis tractu, successio obtinuerit, ea tamen sequuta est postmodum ac tacitè irrepsit; cum reges & Principes in hoc negotio non poterant ignorare, multum equidem interesse, futuræ quoque *successionis* Curam gerere, ut familiæ & posteris suis, quò quisque bona sua ad genitos à se transferri cupit, prolixius prospicerent, unde iure hæreditario, imperii fasces ad liberos eorumque *successores* transmittere allaborarunt. Præterea, ubi homines, virtutis propagationem ex pa-

ren-

rentum defunctorum virtute rectè cognitâ, in liberis præsumpserunt, tum demum evalescentem *Electionem* excepit ipsa *Successio*; inde originem Regna trahunt *Successiva*. Quam *Successionem*, cum multi periculosam, statuiq; publico noxiam futuram, sibi imaginati sunt, ideoque ille succedendi *Ordo*, ab eis, variis quasi modis Restrictivis, prout Reip. postulabat utilitas, fuit limitatus, in quibus paulò altius repetendis, sequenti membro, nostra occupabitur opera.

MEMBRUM SECUNDUM.

Modum & Ordinem ad regalia succedendi scepra delineans.

§. I.

Quibus prælibatis, manum & calammum ad amœniorem amplioremq; rerum, quæ nos excipiunt, tractationem promovemus, materiæq; propositæ theatrum jam recta intramus, nequaquam ἀπεσιόησαν, fore arbitramur, si
 rari-

tantummodò (missis & semotis vocis *successionis* acceptionibus, exiguam heic vim obtinentibus) verum scopum nostrum exponere possimus, qui in hoc uno consistit, ut ordinem & modum *succedendi*, juxta politicorum placita, sequentibus inclusum *Paragraphis* exhibeamus: nimirum, succedunt ordine descendentes, quales sunt liberi, qui jure reliquis anteferendi; liberos autem, totam alicujus progeniem & sobolem nuncupamus, filios videl. Nepotes & sic consequenter: ita enim svadet ratio naturalis, eos qui nascendi forte, & gradu sunt propinquiore, bona à parentibus accipere, quod legi naturæ maximè consentaneum. Ita loquitur *Philo Judæus* lib III. Ὁ νόμος δὲ φύσεως ἐστὶ κληρονομεῖναι τὰς γονεῖς ὑπὸ παιδίων ἀλλὰ μὴ τὰς κληρονομεῖν, hoc est, *Natura lex est, ut liberis parentum, non liberorum bona parentibus relinquantur.* Confer Hug. Grot. lib. II. c. 7. de J. B. & P. Sic idem *successionis* comòdum ab his ad remotiores descendentes se quoq; inclinac ac porrigit.

§. II.

Regi adeò Parenti in regno defuncto, jure sanguinis, Primi omnium *Succedunt* filii, quorum quis potior haberi, cæterisque præferri debeat, non tantum jure gentium, sed & ex ordine naturæ, jam diu definitum esse constat; nam Herodotum lib. VII: in hæc verba erupisse, accepimus: νομισόμενον πρὸς πάντων ἀνθρώπων, τὸν πρεσβύτατον τὴν ἀρχὴν ἔχειν; *apud uniuersos homines, institutum est, ut natus maximus liberorum, obtineat principatum.* Sic Perseus apud Liv. Lib. XL. cap. II. ad fratrem Demetrium natus minorem; *regnare utique vis, inquit, huic spei tuæ obstat ætas mea, obstat gentium jus, obstat vetustus Macedonia mos.* Præter hæc, in medium allatas scriptorum auctoritates, quod scilicet inter plures filios, sexu pares, natus maximus succedat, id ultra fieri affirmamus, non solum quod hic locum habeat regula illa vulgaris: *Qui prior est tempore, potior est jure;* sed & quia primogenitus ut ætate, ita & prudentiâ,

juniores antecellere censetur, rationem enim hujus rei reddit *Cyrus*, apud *Xenophontem*, dicens: *Imperium relinquo majori natu, ut quem par est, rerum esse peritiorum.* Alias etiam si dignissimo regnum esset deferendum non possent non exitalibus inter se discordiis, implicari fratres: Quibus præcavendis, optimum est sorti nascendi, rem committere, quam jus Naturæ, uti dictum est, & Divinum, omniumquæ ferè gentium consensus, velut ab ipsa naturâ jactam, constantè amplectitur. Nequæ omitendum est illud, si nempe *Successio* penes primogenitum continuatur, opes & dignitas conjunctæ manent, & ita non potest imminui & deprimi familiæ auctoritas. Prætereà, si præteritorum temporum evolvere *Annales* libuerit, deprehendimus in Regno nostro *Sveo-Gothico* Exemplum *Gustavi Primi* piæ & Gloriosissimæ memoriæ, qui beneficia, fermè humani ingenii, captum superantia, populo præstitit *Svecano*, quorum immensam seriem, hac vice, enumerat.

merare, nec tempus nec vires admitte-
 rent; consilio suo, Rex ille pius felicissi-
 mæ recordationis, subditis & posteris
 saluberrimo, consensuq; ordinum, ac Re-
 gni, Reges non per *Electiōne*, sed *Succes-
 sionem*, ad *Solum Regni SveoGothici* evehēdos
 fore, constituit: quam Successionis le-
 gem, ut æternam futuram, primum Rex
 æternitate dignus, filium suum Primo-
 genitum: *Ericum XIV.* legitimum hære-
 dem, regem designando: de qua Uni-
 one Hæreditariâ, videri potest ex recep-
 tu Orebroensi, & Arhosiæ Anno 1544
 facta: Ex decreto Norcopenfi 1604 &
 Holmensi sub rege Gustavo II. & Magno.
 Anno 1626, nec non postea An. 1650 edito.
 Ex hisce jam decretis in medium allatis,
 inclarescit, verba illa, quæ habentur in
Legist. Suecano Cap. III. Kong. B. L. L. Nu
 år til Konungz Riket Swerike Konun-
 ger wälliande/ och ey årswande/ multis
 abhinc annis mutationi facta obnoxia,
 atq; hoc modo jam legenda; Nu år til
 Konungz Riket Swerike Konunger år-
 wande och ey wälliande. Deniq; & ultimo
 asser-

assertioni huic magnum accedit robur, ex consuetudine & more in aliis regnis usurpato, ut in Gallia, Hispania, Anglia, Dania &c. Nec effugiunt nos, pauca exempla, quæ in contrarium afferri possent, tum quia ad universalem *regulam* introducendam, non requiruntur omnium, sed meliorum seu moratiorum populorum consuetudines, tum quia quæ ex singulari causa facta sunt, in consuetudinem rapere non convenit. Hac occasione, quis nobis obvertere possit, num primogenitus habendus, qui ante acceptam dignitatem à patre, vel postnatus fuerit? Resp. dicendo: is quem naturæ felicitas & ætatis privilegium fecit primum, illum in defuncti parentis locum succedere, jus & æquitas svadet, populorumquæ adfirmat consuetudo.

§. III.

Ubi verò uno plures dari contingit filios, an tunc regnum inter eos dividi debeat? Quæstio hæc haud parvi ponderis, in Politicorum Choro celebri-

brium, diu agitata est, antequam in tutum & placidum maris turbulenti portum, est deducta. Hic ajunt docti Viri ipsum respiciendum esse imperium pleno iure, an populi arbitrio id possideatur. Regibus, regna in patrimonio habentibus, jus quoque competit, pro lubitu suo, super *successione* disponendi, qui ubi expressè de eadem, voluntatem suam declararunt, illa utiq; non minus, quam privati alicujus patris familias testamentum condentis fuerit sequenda; Quemadmodum Generosissimus & Celeber. DN. Baro Sam. Pufendorff. (qui nuper ut famâ constat, exutâ mortalitate, ad æternas & beatorum avolavit sedes) de J. Nat & Gentium lib. VII. super hac re disserit. Aliàs ubi Rex plenum imperii jus non habet, respicienda est populi voluntas, à quo ordo successionis dependet. Plurimum tamen interest, ut regnum inter plures fratres aut hæredes, eodem gradu à demortuo parente distantes, non dividatur. Ita leges nostræ Patriæ Konung B. L. L.

Cap.

Cap. II. prohibent, ne plures in regno sine *Corona*, sed una, Caput unum & Rex unus: *Sfwer alt Swerike/ skal en Konungzlig Krona eller Konunger wara utan en: han äger styrra och råda Borgom och Landom etc.* *Quia omnis divisio ducit ad minima*, ut dicit Plutarchus: destruantur status imperii, dum in minutiores particulas divelluntur, & à se invicem separantur, eoque tandem deveniunt res, ut pucilla Dominia facile à vicinis possint occupari, sæpeque præ magnitudine debitorum, suapte imbecillitate collapsa fuerunt. Hasce ab causas Carolus IV. in *Aurea Bulla* sanxit & expressè prohibuit *Electorum* divisiones, quod in Principum *Electorum Germanie* filiis observatur: Nam ad tuendum regnum & Civium concordiam obtinendam, viæ ratio erit facilior, si *successio* stet penes unum, quàm si portionibus inter plures distribuatur.

§. IV.

Breviter itaque indiguitatis & consideratis filiis, quibus successio secundum

ætatis prærogativam competit; facili
 negotio, qui à *successione* arcentur, co-
 gnoscutur. Omnium primò imperii in-
 capaces excluduntur, qui sunt imper-
 fecti *animo* vel *corpore*, tales. Animo im-
 perfecti sunt furiosi & mente capti.
 Corpore tales, sunt surdi, muti, Cæci,
 claudi, leprosi. Ulteriùs si oculos cir-
 cumferamus, nascendi fatum, discrimen
 haud leve inter spurios sive illegiti-
 mos & filios ex legitimo thoro pro-
 creatos, posuisse & constituisse, quis i-
 gnorat? quorum illi tametsi annis gra-
 viores, hos tamen nequaquam à thro-
 no & solio regali excludunt. *Adnasci-*
tur enim iis labe quedam, *que obstat*, quò mi-
 nus ad dignitates spurii extra conjugium
 nati, admitti queant, cum imperatores ab
 omnibus honoribus, qui integra dignitatis
 hominibus, deferti solent, repellant famosos
 seu infames & notatos; Dicit Arnisæus
 in Relectt, suis Polit. cap. ii. atque
 hinc Ptolomæus propter *maternas sor-*
des, Aridæum regem recusabat, ut Justi-
 nus refert lib, XIII, cap. ii. quod ex

Larissæo scorto natus esset. Multorum circa hanc rem, per omnia Politicæ volumina, obviæ sunt discrepantes sententiæ, quibus enumerandis & charta & tempus deessent; Maxima etiam pars illarum, nullis subnixa est rationum momentis, quibus tamen inniti, ipsa rerum desiderat necessitas. obstat hoc quod habenis Reipub. admoveri non possint, quia princeps magnificus esse debeat, quò auctoritatem apud suos obtineat, quod in nothos non quadrat, qui potius contemptui obnoxii sint. Quos insuper divina lex ex tribu, ex familiis, ex universo Judæorum populo eradit Deut. 23. v. 2. eò quod infamati sint, & pœnam à vitio parentum impressam secum vehant, & licet ad tempus floreat, ad maturitatem tamen non sunt perventuri, ut spiritus DEI per sapientie scriptorem talibus minitatur, quando dicit, filios adulterorum in consummatione fore, & ab iniquo Thoro, Semen exterminandum esse. Nec nos alia exempla quæcunquè percellunt, docentia, spurios re-

regna occupasse, feliciterqve administrasse, de quibus, quia ob raritatem, consuetudinem non pariunt, judicare non licet. Rem itaqve in compendium mittimus, dicendo: e contrario, multa ex *nothorum* imperii administratione (quale enim crudelissimi Abimilechi factum, quo 70 fratres e medio sublatis, Jud. cap. 9! v. 5.) oriri pericula luce, clarius meridianâ. Hoc loco ut etiam *ως εν παρόδω* de adoptivis agamus, dicimus, verbô cum supra nominato geneross. Pufendorff. aliisque Politicis, contra Bodinum ejusqve sectatores & asseclas, talibus non posse *ordinariè* gubernacula regni committi; siquidem ad *successionem* requiritur, ut ex sanguine legitimi matrimonii & acqvirentis, quis originem ducat, quod de Adoptivis adfirmari neqvit.

§. V.

Ordinem inter masculos strictè observari debere, diximus supra, quam etiam *Prærogativam* ratione *Sexus*, vim in se continere & pondus, sine alicujus

C

præ,

præjudicio statuimus : quod *Masculi* in
 capeſſendo imperio, non tantum perpe-
 tuò in *Electiōe*, ſed & in *ſucceſſione*,
 fæminis ſint anteferendi; quam ob
 cauſam *γυναικατίαν Politicorum* quidam,
 in totum expugnandam & quaſi delen-
 dam probare conantur, inter quos Bo-
 dinus de *Repub.* lib. VI. Arnifæus lib. II.
Relect. *Polit.* ideo fæminas ab imperii
Majeſtate quam longiſſimè arcendas, &
γυναικατίαν naturæ legibus inimicam
 eſſe; quia lex naturæ *Viris* prudentiam,
 animi magnitudinem & vim imperandi
 dederit, fæminis verò ademerit, undè
femellæ potius, factæ ſint ad obſeqvium
 & ſubjectionem, non tantum juxta *Sa-
 cram ſcripturam*, ſed & memoriabile illud
Ariſt. lib. I. *Polit.* cap. 5. τὸ ἀρρεν ἄρκον τὸ
 δήλυ ἀρχόμενον. h. e. *Mas imperare fæmina
 parere nata eſt.* Hinc naturam ipſam di-
 ctitare, ajunt, ut domi ſe contineant, nec
 in publicum egrediantur mulieres; nam
 ut Euripides fæminam loquentem in-
 troducit : *Mulieres ſumus ad omnia bona
 Conſilia ineptiſſimæ.* Legi etiam divinæ ad-
 ver-

versari Gynecratiam dicunt, eo quod hæc non modo *Reipub.* sed & familiæ dominium disertis eis eripuit verbis, & fœminas imperio *Virorum* subiecit. Horû castra sequitur etiam Georg. Schönbor. lib. I. Polit. ab altera parte & adversa, validis rationum *arietibus*, quosdam alios pugnantes deprehendimus: *Nemini scil. esse præclusam virtutem*, omnes illa admittit, nec *sensum* nec *sexum* discernit, teste Seneca. Fundamentum præterea è sacro haustum codice, roborant Exemplo Deboræ ex libro Jud. 4. v. 4. desumpto, aliarumquè fœminarum feliciter imperium, quæ administrarunt, utpotè *Christine Suecorum*, *Elisabethæ Anglorum*, *Semiramides Assyriorum*, *Margaretha Danorum*, quæ *Viros* fermè superârunt ipsos. Ita ab utraque parte non solum *Oppugnatores*, verum etiam *Gynecratiæ defensores* ictus vibrant aculeos. Concor-
 dant tamen optimorum in eo *Politico-
 rum* sententiæ, quibus album adjicimus calculum, sub incudem considerationis, *Consuetudinem Loci*, revocantes, quâ si

Successio foeminarum vigeat & stabiliatur, nostrum est, eandem ambabus excipere manibus. Inde & in Regno nostro *Sveo-Gothico*, ante 50 annorum decursum præter propter, *Regina Christina* Augustissimæ, jam gloriosæ memoriæ, cujus exemplum modò produximus, delata fuisse imperii sceptrum, recentior meminit ætas. Aliàs etiam seqviorem sexum interdum talibus instructum dotibus oneriquè Rempub. administrandi, sustinendo parem fuisse, extra dubium, unde ad *Jacobi Zevocotii* verba provocare licet, ita loquentis: *Aut nimis aut minus mihi sapere semper visi fuerunt illi, qui omnes fortitudinis & prudentiæ partes Viris, nullas foeminis concedunt.*

§. VI.

Tantum de *Liberis*, gradu proximo *Antecessorem* & *Regem* demortuum, jure hæreditatis attingentibus, dixisse sufficiat. Præterea oleum & operam ne quis credat, nos perdituros, Rem altiori indagine inqvirendo, ad *Successionem*

Collateralem considerandam prolabamur, quam æquè legitimum acquirendi imperii, vocamus modum, quo per sanguine proximos continuatur imperium, qui modus ad tollendas controversias multas, apud gentes inventus est. Quando fratres, aut eorum filii sunt superstites, & favor repræsentationis, in remotioribus gradibus evanescit, tum *collateralem hanc successionem*, præcipua committatur vis, ut in ea ad regimen seculare admittantur sanguine proximi, salva tamen semper in pari gradu ejusdem *lineæ prærogativa*, ætatis & sexus. species vero *successionis* usu receptæ, duæ sunt: nim *successio cognatorum*, quâ in eodem gradu ejusdem lineæ, fœminæ, & ex his nati, ab imperio non excluduntur, sed maribus & ex his natis, in eadem linea, postponuntur, ne fiat transitus, de linea, in lineam, ita tamen ut ad fœminas fiat regressus, si priores aut pares mares, aut ex maribus nati defecerint: Cujus consequens est, ut filia ex filio, præ-

præferatur filio ex filia, & filia ex fratre, filio ex sorore. Agnatorum *successio* à priori differt, quod heic fœminæ, & ab his nati arceantur, ne per Matrimonium fœminarum imperium ad peregrinum sanguinem deveniet. De hisce jam allatis agunt Generos: Pufendorff. de J. Nat. & gentium lib. VII. Siönb. l. I. Polit. Kipping. l. I. Polit. De ultioribus vero descendentes seu collateralibus esset nunc dispiciendum, sed cum instituti ratio temporisq; brevis vetent, hisce diutius immorari, idcirco candidum & sincerum Lectorem nos excusatum ire velle, speramus & petimus officiosè. Colophonis tamen loco, unicam solummodò quæstionem subjungimus, in qua quærimus, *An Nepos ex filio primogenito in successione, Patruo suo præferri debeat?* Cujus affirmativam, Politicorum ductu bonorum defendendam suscipimus, eò quod filius succedat in omnia patris sui jura, ad eorq; jus quoq; primogenituræ, atq; sic repræsentat patrem suum h. e. primogenitum, *cui jure debetur successio.*

MEMBRUM TERTIUM.

Modum Eligendi offerens.

§. I.

Hactenus pro talento ingenii, enodavimus modum succedendi, quem efflagitante ordine, insequitur ipsa *Electio* expendenda. Quam vocem (ne illa molestiam alicuj creet) ab æquivocationibus liberare haud gravamur. Notum equidem sine dubio, hanc *Vocem* sumi dupliciter: Vel 1. *Generaliter*, pro *Electio*ne quavis, sive fiat à Deo, sive ab hominibus & quocunque tandem fiat sine. Vel 2. *Specialiter* pro *Electio*ne credentium ad vitam æternam. In priori significatione transfertur in scripturis, tum ad res, tum ad personas, ac adhibetur, vel de Christo, vel de angelis, vel de hominibus, quatenus ad officia publica, vel *Politica* vel *Ecclesiastica* eliguntur. Atque sic per hasce rationes quivis de facili conjecturâ assequi valet, quia in acceptione, Vocabulum *E-*
lectio

lectionis, heic loci usurpamus. *Electi-*
onem itaq; ad decreta politicorum Ge-
 neros. Pufendorffii, Nobilis. *Syllen-*
Stolpes, Vendelini, Lib. 2. *Thes.* vii.
Kippingii Lib. 1. *polit.* Virorum cele-
 berrimorum, vel liberam dicimus, quæ
 nationem, gentem, & familiam certam
 non respicit, sed suffragio licita, in
 quæcumq; personam, summo Magi-
 stratus officio aptam inclinatur; sic olim
 veteres *Romani*, peregrinum sæpius quam
 indigenam eligebant. Hæc libertate u-
 tebantur *Poloni* in eligendo *Piaſto* agri-
 culturæ qui operabatur; itemquæ *Roma-*
ni, qui *Cincinatum Dictatorem creatum*, ab
aratro trahabant in urbem. Liv. Lib. 3. Vel
Restrictam, quæ certis circumdata est li-
 mitibus & ad certam gentem aut fa-
 miliam accommodata, dicitur. Cujus-
 modi legem ipse Deus populo suo tu-
 lit, ne alium *Solio Regali* dignaretur, quam
 ex hac gente & familia ortum Deut: 17. 15.
 ita etiam *leges provinciales Suecane* *Rö-*
nung B. LL. Cap. 3. Artic. 1. *Suecis*,
Suecum præscribunt & indigenam, quæ
 &

& quondam observatæ, quando ordi-
 nes regni, ad lapidem Mora-Steen/ pro-
 pe Upsaliam, quadam in planitie, pro-
 fundæ terræ infixum radicibus, quem
 alii 12 minoris molis, in modum cir-
 culi, circumdant lapides, ad Regem
 sibi deligendum, conveniebant. Vel in-
 super ad certam familiam restrin-
 gitur, quod ipsum hic in Svecia
 a temporibus S. *Erici & Svercheri* obser-
 vatum fuisse, ita ut ex regum fami-
 liis, usq; ad *Ericum Balbum*, reges alternè
 electos, annales testari, dicit Nobilis &
 consultissimus Quondam *Gyllenstolpe*
 in disp. 3. polit. Est & illud heic obser-
 vandum, ex peregrina gente, non faci-
 lè quemquam eligendum, *quoniam sem-
 per fieri videmus*, inquit Schönbor. lib.
 II. cap. 3. *Ut provincia regem domesti-
 cum, quam advenam impensius colat; ideo-
 què cum maxima cautione in Aurea
 Bulla, Carolus IV. sanxit, ne ad imperium
 admitteretur alius, quam qui se ex
 sanguine Imperii genuino, satum do-
 cere posset.*

D

§. II.

§. II.

Electionem quoque, velut modo
 quodam Extraordinario, per *sortitionem*
 peragi posse, non tam ex legibus ci-
 vilibus & approbationibus populorum, e-
 vincunt testimonia, quam ex sacrâ pe-
 tita paginâ; Etiam si Auctorum in hoc
 deliberando, distrahantur animi, repo-
 nentes illud Aristoteles lib 1. Eth. cap. 9.
 quod extremæ dementiæ sit, id quod
 maximum optimumque, fortunæ com-
 mittere ludibrio: Quandoquidem *Isocra-
 tes*, sortitionis gubernatricem vocavit
 fortunam. Obvertunt etiam pessimos
 quosque *sorte* acquiri posse, multisque
 hanc, fraudibus & imposturis, esse ob-
 noxiam. Verum quicquid illis arridet,
Modum hunc plane esse *Illegitimum*, adeo-
 que à veritatis tramite semotum, o-
 mnes, qui penitus rem pensant, nobis-
 cum negaturos fore credimus, si *duplici*
utamur Cautela, sortemque habere lo-
 cum dicamus: Ubi summa urget *ne-
 cessitas*, videl. quando duo vel tres con-
 currant, virtute & honore pares, tum
 me-

melius est sorte uti, ne quisquam ex contemptu quasi videatur rejici. Quod cum ita sit, non dubitamus asserere, sortitione interdum Magistratum eligi posse & constitui.

§. III.

Inter certas haece leges, ad quas *Restricta* est *Electio*, praecipuum & porximum est, ut eligentes, vel ad certum tempus, vel in perpetuum, constitutum habere velint Regem, prout hoc ipsum postulat Reibubl. Consveduo & utilitas. Adeo in hujusnegotii puncto contentionis *serra* inter Politicos reciprocatur, ut ne vix, amicas reperiri liceat sententias. Quidam pro Ambulatorio Magistratus officio, rationes haud invalidas depromunt, cum Liv. Afferentes: *Magnam Custodiam libertatis esse, si Magna imperia diuturna non fient, vicissitudo ista, ingenia fastuosa reprimat, nec inebriari nimiam finit licentiam.* Hucq; trahentes illud Cicerois lib. III. de LL. *Censores Magistratum quinquennium habent, ceteri*

Magistratus annui sunt. Nihil tam utile, Teste Seneca, quam brevis potestas, quæ magna est. Multaque alia sexcenta & infinita in assertionis stabilimentum congerunt; contra verò, pro perpetuo pugnantes Magistratu, vix inermes inveniuntur Auctores, dicentes: quod crebra Magistratus mutatio, non permittit rempublicam benè administrari, cum cæteris rationum ponderibus, quæ enumerare, hac vice, instituti prohibet ratio. Ut a hoc Labyrintho evadere & exire queamus, loco determinandæ controversiæ hujus, dicimus spectendas esse circumstantias personarum, locorum, temporum, secundum quas utrosque magistratus, probandos esse, extra dubium positum: adhibitis etiam diversarum formarum rerum pub. distinctionibus. Disquiritur præterea inter eruditos, num possit dari Monarcha temporarius, in qua sententia fuit Grotius lib. 1. cap. 3. & hodie Joh. Jacob. Müllerus Professor Jenensis Ph. Pract. quando Dictatorem Romanum, cujus imperium

mestri spatio finiebatur, pro vero Monarcha, summam habente potestatem, venditant, quorum tamen sententiæ se meritò opponunt Bodinus de Repub. lib. 1. cap. 8. & post eum eruditissimi Politicorum Bœclerus, Generos. Pufendorff. de J. Nat. & Gent. lib VII. Kippingius lib 2. Polit. aliq̄ Dictatorem Romanum non Monarcham, sed Magistratum extraordinarium seu summi imperii vicarium, duntaxat fuisse, asserentes.

§. IV.

Subiectum electionis, seu personas, ad Rempub. administrandam aptas, sicco non prætereundas pede monent Politici celebriores, circa quod subiectū, magnoperè *eligentibus* incumbit rationem habere *generis*, ne quis obscuro loco & genere natus, ad imperii regimen, sed natalium splendore virtutumq̄ radiis, pluribus notus, eligatur. Genus requirimus plerumq̄ve ideo, teste Schönbor. lib. 2. cap. 4. quod consentaneum sit, è fortibus bonisq̄ve creari fortes, & bo-

bonos, & meliores esse, qui sunt ex
 melioribus; Accedit & illud quod hu-
 mili loco prognati & euecti, impo-
 tenter se gerant, pristinaeque suae condi-
 tionis plane immemores evadant, de
 quibus tunc illud valet Claudiani:

*Asperius nihil est humili cum surgit in altum,
 Cuncta ferit, dum cuncta timet, desavit in
 omnes;*

Ut se posse putet, nec bellua tetrior ulla est &c.
 Quamvis exempla haud infrequentia
 etiam eorum dentur, qui sordido
 progressi loco, ad rerum gubernacula
 sunt elevati, quod factum putamus saepe,
 non tam electione prudenti, quam vel
 favore, aut furore militari, aliove ca-
 su. Laude quoque sua non caret, ra-
 tionem Nationis habere, ne extranei
 admittantur, qui an civitate donandi
 sint, ambigunt politici, quod enim locusta
segeti, id civitati, extraneus esse dicitur. E-
 tiam si multorum, haec infixata est animis,
 opinio, ut aditus debeat extraneis ad
 moderanda reipub. fræna patere. De
 his tamen statuimus, sed sine præju-
 dicio

dicio, eos non facile esse admittendos, ad
 ductum legum Provinc. Ronung. B. LL.
 Cap. III. §. Artic. I & Cap. IV. Art. 4. idq;
 ob varia, avertenda incommoda, quæ;
Exempla omnium temporum, indè oriri
 ostendunt. Verè itaqve & satis appo-
 sitè Lipsius, de hisce pronunciat, in-
 quiens: *Ute in quam domum vespillones*
veniunt, signum est funeris: sic Reipub:
labentis, ad quam fulciendam, adhibentur
peregrini. Inter alia, juvabit tertio, bo-
 nam spectare *famam & existimationem,*
 ut eligendi Regis sive Principis nomen,
 integrum & absqve *macula* sit, aliàs
fastigium dedeceat, inquit quidam: *tantiqve*
tunc est, ut loquitur Boxhornius, *& sit*
vis omnis dignitatis, quanti est & fit ille, qui
accepit: adeo ut si contemptus sit, aucto-
ritas etiam ejus deficiat & floccipendatur.
 Imò quarto virtutem tanquam pro-
 prium sibi faciet bonum eligendus, ju-
 stitiamqve imprimis, omnium quasi
 virtutum complexum, cui sororio re-
 liquæ adstringuntur vinculo, hoc or-
 natam *Ethicorum* Epitheto, servare stude-

des

debit: Ἐν δὲ Διακρίσει τῆς παλαιᾶς ἡθροῦς πᾶς ἀρετὴ σὶ.
 Quam virtutem insuper, Patriæ nostræ
 jura, in Rege severè exigunt, Konting. B.
 LL. cap. IV. §. I. Han skall alla rätt-
 wiso of sannind styrckia/ ålska of gö-
 ma/ of alla wrångwiso of ofannind of
 allan orätt nidertyckia/ både med råt/
 of Kunungzliko wålde sino. Ex qui-
 bus Virtutum laudibus, cum perpluri-
 mæ sint instituto nostro interservientes,
 scitu necessariæ, auribusquè jucundæ,
 ulteriori harum scrutinio, *Antiquorum*
 quoquè *Svecorum* leges & decreta, hoc
 loco, in unum quasi descriptionis fasci-
 culum, quæ ad instar *Fili Ariadnei* nobis
 erunt, industriâ quâ fieri potest, colli-
 gere animus est: scil. leges, eorum in
 Conciliis ad *Lapidem Mora Steen* ha-
 bitis, Virum talibus virtutum fulgen-
 tem radiis, determinabant: Qui sem-
 per & ubiqvè Reipub. commodum, Re-
 gni honorem, rebus antetulit privatis.
 Ex quô nullus unquam, læsus & injuriâ
 affectus. Cui felix usus rerum mili-
 tarium, & *Victoriæ* ab hostibus repor-
 ta-

tata, contigere. Qui ob modestiam & probitatem, auram captavit popularem. Qui justitiæ tenaciter adhæsit. Qui denique ultimo, Verbum DEI veramque Religionem, sibi oculis quasi coram contemplandum, proposuit. Hisce, qui olim in *Electione* Regum, inter cæteros, virtutum eminebat laudibus, Is, unanimi omnium & singulorum *Ordinum* Voto ac suffragio, in *Lapide Mora Steen* (cujus mentio sæpe facta) ex quo sententia semel lata ac publicata, firmis & inconcussis, velut *lapis* iste, altâ voce, & publicis acclamationibus, Rex proclamatur ac salutatur; Vide *Ipeculum Sveo-Gothicum Petrei*. Quæ virtutes, Regum decus, felicitatis fons, subditorum tutela, Cæli benedictio, terræque vita, sunt. Vocandi adeo apti & idonei, in quibus virtutum adparet concentus, Principe dignarum, sicut talia virtutis ornamenta, in *subjecto* eligendo, pleraque depinxit Latinus Pacatus in *Paneg. ad Theod. Is ad rempubl. regendam, Eligendus est, Cui felix Patria,*

*cui domus clara, cui ætas integra, cui deniq;
militarium & civilium rerum usus contigit.*
Exosi propterea, non sinè causa sunt ii
omnes, quos contaminavit & despectui
obnoxios reddidit, *vel vitæ vilitas, vel sordi-
darum artium professio, vel vitæ turpitudò,
vel hæresis; vel onus æris alieni, vel pauper-
tas nimia, vel denique ambitionis æstus;* hos
omnes cum Schönbor. à summo digni-
tatis gradu arcendos, putamus.

§. V.

Anteqvam verò hoc subjectum mis-
sum facimus, operæ lanè pretium erit,
veræ Religionis naturam, suam in hoc
uti modo dictum, fixisset sedem, ulte-
rius expendere. Ratio in promptu,
nam *primum*, ut *Aristoteles* docet lib 7.
polit. cap. 8 *Curatio rerum divinarum:*
rationem reddit alibi nim. hanc, quia
*præiores sunt Dii in eos, qd maxime illos
colunt.* Hinc quam necessaria in Rege
sit pietas, Ex jure *Specano* Ron. B. L.
Cap. 4. Artic. I. evidentissime patet;
nempe, *han skal rálfska GUD/ of the
helga Kirkio/ of råt henna styrkia: &c.*
Item

Item Kunungst. 4. B. 1. flokk. Kununga
 of Höfdinga skulu sík wähl och dygdelika
 hawa i Gudztienisto/ of i allo thn Gudi
 tilhöra : &c. Huc pulchrè satis *Svecorum*
 spectat veriverbium: Fruchtta GUD är
 Frijd och Hälsa. h. e. Gudzfruchtan
 haär Wälsignelse med sig. ad Exemplum
Svecorum Regis Biörnnonis IV, qui primus
 veræ religionis plantationem & Christi
 fidem suscepit: deinde Rex Olaus Skott-
 Konung/optimum, per propagationem
 ejusdem CHRISTO acquisivit lucrum.
 GUSTAVUS I. postmodum & GUSTAVUS
 ADOLHPUS, idem egerunt, quibus jure
 optimo CAROLUM GUST. & CAROLUM XI,
 Regem nostrum Clementissimum. (Cu-
 jus imperium Rex Regum, Jehova
 Exercituum, *Sveo-Gothici* imperii stator,
 ut hæctenus ita deinceps, clementer pro-
 tegat, potenter defendat atq; confir-
 met) divinæ accensos religionis ardore,
 accensemus. Quas enim aliàs, & quan-
 tas pariat, multitudo religionum, tur-
 bas, quæ inde dissidiorum faces sunt

accensæ, qui bellorum strepitus, animus meminisse abhorret, luctuque refugit! Attamen si diversitas religionum, altas in corpore imperii egerit radices, nec possit sine exitio, & ruina totius Reip. extirpari, toleranda est interdum, *observatis quibusdam conditionibus*, juxta dictum Pauli I. Cor. II. v. 19. Deinde & illud observatione dignum est, quod nequè vi, ferro & flama ad religionem suscipiendam *subditos* cogendi, potestas Magistratui sit relicta, ut mos est *pontificiæ Religionis* addictis, qui hastas vibrandas, gladios acuendos, tela intentanda esse crepant, quos omnes truculentæ & inhumanæ crudelitatis, jure meritoquè accusamus, qui ad rotas, ignes & gladios, diversæ religionis homines trahendos esse, pleno ore & distento guttore exclamant, inter quos *Ciniflones & Carnifices Jesuitæ*, hâc utuntur sanguinolenta voce:

*Ultere jure tuo, Caesar servosquè Lutheri,
Ense, rota, ponto, funibus, igne, neca.*

Ast Religio non imperari, sed suaderi debet.

Quis mihi imponat necessitatem exclamat
 Lactantius, *vel credendi, quod nolim, vel*
quod velim, non credendi. Principium etiam
 Practicum, est voluntas non potest cogi,
 scil. ut quod quis nulla ratione vult,
 velle queat, & consequenter nec Reli-
 gio: qua de re, cum pluribus aliis, mul-
 ta cum Laude in hac *Universitate Aboënsi*,
 vir longe celeberr. Admod. Rev: And.
 Wanochius, pro tempore Theol. Profes.
 insignis, in Disqv. suis Practicis, e-
 gregiè, docte, satis atq; subtiliter disse-
 rit. Multum præterea accedit roboris
 nostræ, ex Regum & principum Ve-
 riverbiis, assertioni, quæ suo protule-
 runt ore. utpote Regis *Theodorici* apud
Cassiodorum, dicentis: *Religionem impe-*
rare non possumus, nemo enim cogitur
ut credat invitus. Fides svaderi non
 cogi oportet; non enim est res neces-
 sitatis sed voluntatis. Gratulamur Re-
 gno nostro Sveo-Gothico, justa de causa,
 quod in eo verus & sincerus Dei cul-
 tus, unaq; vera religio floreat, pre-
 cibusque insuper Deum Ter. Opt. Max.
 defa-

defatigamus calidis, velit animorum,
in cœlesti doctrina, concordiam con-
cedere, & sacri verbi sui depositum a-
pud nos ad *Seculi* usq; consumationem
conservare, quò una veraq; religio, u-
biq; locorum & Civitatum obtineat.

§. VI.

Brevitati ad modum litantes, aliud
supersse non speramus, quam ut supre-
mam (quod ajunt) huic manum nostræ
opellæ, imponamus. Priusquàm verò
hoc fiat, *Censuriam* quasi *virgulam*, inter
successionem & electionem adponere
lubet, *Uter scil. horum melior modorum, atq;
convenientior sit Reipub.* In sententiarum
circa hanc quæstionem abeunt divortia
Politici, quorum quidam à parte *Electio-
nis* stant, ut Schönbor. lib. II. cap. I. Arni-
sæus in Relect. Polit. Alstedius aliq;
nempe quia si I. Recte instituta sit suf-
fragatio, nec ullis illaqueata præjudiciis,
quis negat; verba sunt Schönborneri,
optimum quemque per electionem
reperiri, & eligitur ille qui Eligentium

& prudentium judicio veluti à natura
 & arte ab Rempub bene administran-
 dam, instructus est, Teste Wendelino lib:
 2 Thef. VII. 3. Imperaturus omnibus;
 eligitur ex omnibus. 4. Inter eligen-
 tes & electum plus benevolentiae con-
 ciliatur, siquidem eligentes, favore &
 amore, eum prosequuntur; de quo
 spem bonam conceperunt; electus i-
 terum, vice versa, propenso & benigno
 solet esse animo in eligentes, à quibus
 imperandi potestatem accepit. Quæ
 quidem objectiones, suo non videntur
 destitui robore, non tamen firmas.
 esse ad legem *κατὰ πινυός*, inferendam
 autumamus; cum & exempla ubiq; ferme
 locorum probant contrarium ut loqui-
 tur nobilis. *Gyllenstolpe* in sua Polit.
 Nos etiam si fateri necesse habeamus,
 consuetudinem loci, maxime esse spe-
 ctandam, qua si electio probetur, no-
 strum non est illam improbare; sed
 Pro successione tamen, potiori milita-
 mus Jure, non tantum manuactione
 insignium Politicorum, sed & quia
 præ-

prælucente verbi faculâ divini, armati
 incedimus, dicendo: 1. Quod successio
 sit naturale quid, Electio vero artifici-
 ale, atquè naturale præferendum est
 artificiali. 2. Optimis niti videtur ra-
 tionibus, ut Magistratus tali modo defe-
 ratur: *firmum enim hoc est munimentum:
 non classes, non legiones, perinde firma impe-
 rii munimenta, quam numerus liberorum*
 inquit Tacitus lib. 4. Histor. & Munimen
 aulæ, vocat Euripides, regios liberos. 3.
 Majores in Electione turbæ ac crebri-
 ores conspirationes, quam in successi-
 one. 4. Major solet esse succedentium
 auctoritas, quam electorum, qui in or-
 dine antea inferiore, egerunt vitam.
parit enim contemptum æqualitas. 5. Successio
 imperium continuat, electio vero in-
 terrumpit, at quod interrumpit aliquid
 & ordinem turbat, deterius est eo,
 quod ordinem conservat. 6. Majorem
 benevolentiam & amorem inter Regem
 Civem, qui jure sanguinis ad Solium
 pervenit, & subditos; quam Regem pe-
 regrinum atquè aliunde adductum, oriri.

Hinc

Hinc Konunga Styrelse i. B. p. 24. 25. sequentia continet verba: Så hafwer of almoge thes mera Kärlek och god Wilia til sin Konnug/ at the äru upfödda undi lödno of wäris Fadhus of Föräldra hans etc. 7. Homines solent, libentius Regi parere nato, quam facto. 8. Rex Majorem Curam geret regni; si successionem relinqvendam suis sciat liberis, eosqve in hanc spem a primis educabit annis. 9. Denique hæc dominatum adipiscendi ratio, non tantum in plurimis regnis & Principatibus videl. Svecia, Gallia, Anglia, Hispania, Dania, Muscovia, & apud omnes Germaniæ principes viget; sed etiam olim in populo DEI, fuit successio in isto populo velut perpetuum unius Principis regimen, Deut. 17. v. 20. adeoque insignis beneficii loco habet Deus, quod Regis Davidis familiæ, successionis donet jura 2. Sam. 7. v. 1. 3. Ultimò firmum Paul. Merulæ in Diatribe, de statu Reip. Batav: erit quasi munimentum & Murus ahenæus; *Nasci Principes melius, pascatis*

calius, securius, quam eligi. Cui verè dicto consonat illud Konung: *Styr: 1. B. p. 19.* The Land áru Sáll of liwa med Frid of frálse/ ther Kunung hawa ápte árfda rátt / etc. Hisce ex omnibus, manet, Successionem hæreditariam, imperiorum animam & firmissimam Reipub. anchoram, jure meritoq; censeri debere, optimumq; esse modum Reges & Principes constituendi, iis præcipuè in regnis & locis, quibus usu & consuetudine hoc receptum est. Hæc & alia magni momenti argumenta, prolixâ serie, pro successione stabilienda, adduci possent, nisi instituti nostri limites & res domi angusta aliud svaderent. Itaque cum hic subsisto, Te interim ingenue & Benevole Lector obsecro hic oroquè, velis ea, quæ exigua ingenii vis, efficere potuit, non tantum benigne excipere, sed & meliorem in partem interpretari.

DEO Ter. Opt. Max. sit Honor & Gloria, in nunquam terminanda secula !!!

Erga

Erga Virum-Juvenem

*Musarum morumq; indefessa cura com-
mendatissimum,*

DN. GUSTAVUM FLACHERUM,

Dissertationis hujus Auctorem perindustrium,
amicum suum ingenue colendum,
prompti officii contestatio. |

Splendorem Virtutis summo semper conatu
Soffuscare nititur, improba illa probæ mentis
soror Egestas; sed tandem tamen se luce sua
Virtus à tenebris vindicat. Scilicet nec Te sui
expertem passa est eadem, Amice Sincere; è qua
tamen, nisi prorsus laudando, emergere, assi-
duo Musarum cultu, indies satagis. Ecce e-
nim hodie in publicum profers conspectioris
Tui ingenii primitias, Industriæ Tuæ non pri-
mas. Quo ipso & adplautum bonorum quo-
rumvis refers, & ad pulchram simul æmula-
tionem acriter excitas. Interea ego con-
gratulationis hoc munere supersedere, nec po-
tui, nec volui, qui tam uberem animo meo
gratulandi præbes materiem. Idcirco bo-
ni hocce meum, licet pertenuè, consulas offi-
cium, quod etsi sibi ipsum non sufficit, sine-
ro tamen animi, unde provenit, ut novisti,
adte

adfectu non deficit, Sed nec exigua respues
officia, qui magna meruisti, nisi hoc tantò
minus est, quantò major est constans illa,
quam in te servo, & quicumquè bonis benè cu-
pit, servat, integritas.

NICOLAUS M. FRIDELINUS,
S. R. M. Alumnus.

Inter ardua illa, quibuscum conflictatus es,
Præceptor charissime, studiorum incommo-
da, constantiam Tuam testatur in studiis
indefessus labor, & egregiaj industria.
Cujus rei etiam testis est, præsens hæc Tua
disputatio, quæ Tua studia summoperè com-
mendat. Quapropter jam quidem mihi si
possem, intime gratulari, verbisque pluri-
bus laudare, conveniret. Quod ipsum cum
jam nec temporis angustia, nec tenuitas in-
genioli permittat, à DEO supplex petam,
ut in spem patriæ, Tuorum gaudium, meo-
rumquè studiorum progressus, vivas va-
leasque!

Animitus voyet
FODOCUS Schultz.

